

Lex mere poenalis in statutis ordinis praemonstratensis.

Articulus P. Meersseman, O. P. « La loi purement pénale d'après les statuts des Confréries Médiévales » in « Mélanges Joseph de Ghellinck, s. j. » tome II, pp. 975-1002 nos induxit ad instituentem inquisitionem circa originem legis mere poenalis in statutis ordinis praemonstratensis. Historici generatim censent legem mere poenalem pro prima vice apparuisse in statutis ordinis praedicatorum, promulgatis in capitulo generali eiusdem ordinis anni 1236. Ibi edictum est: « ut igitur unitati et paci totius ordinis provideamus, volumus et declaramus ut regula nostra et constitutiones nostrae non obligent nos ad culpam sed ad poenam, nisi propter preceptum vel contemptum ». Patres capitulares ergo, qui noluerunt imponere constitutiones sub culpa, praevident despectum legis in constitutionibus contentae afferre culpam moralem, sicut et transgressionem concreti praecepti superioris. Obedientia quae a fratribus dominicanis vovetur est promissio Deo facta, non observandi regulam et constitutiones, sed sese obtemperandi superioribus secundum regulam et constitutiones. Quod clare enuntiatur in decisionibus capituli generalis O. P. anni 1236; P. Meersseman vero probat hanc opinionem fuisse jam prius introductam, et quidem ab ipso S. Dominico. Regula enim S. Augustini quam fratres Praedicatores sequuntur, potius principium generale quam normam concretam vitae religiosae ipsis praebebat. Ideo praeter regulam requirebantur omnino dispositiones additoriae, qui ordinarent vitam communem. Inter has dispositiones S. Dominicus quaedam tantum bene determinata puncta tamquam inviolabiliter observanda sancivit, relinquendo cetera adaptationibus susceptibilia. Ipse S. Fundator quoque signanter exegit ut haec praecepta generalia non obligarent ad culpam moralem.

Communis opinio, ea aetate vicens in communitatibus religiosis retinuit obligationem moralem in ordine ad observationem legum Ordinis. Legiferi vitae religiosae omnino intendebant ut regulae et praecepta « in se » observarentur, et ut transgressio vel non observatio eorundem eo ipso secumferrent culpam moralem.

Abbatess quidem et superiores habebant facultatem dispensandi cum suis religiosis in observatione regulae, et hoc modo alleviare poterant conscientiam subditorum.

Immo monachi, ut effugerent hanc tyrannidem moralem cuius-

cumque paragraphi legis, distinctionem instituerunt inter praecepta et consilia regulae. Praecepta erant semper sub gravi; consilia vero quod attinet, non viguit unanimitas, utrum sub levi tantum exsequenda essent, an revera nullam imponerent obligationem moralem.

Fratres minores, jam ante mortem s. fundatoris iisdem difficultatibus laborabant. Ipsi in emissione professionis vovebant servare ipsammet regulam: « Voveo et promitto Deo ... toto tempore vitae meae servare regulam fratrum minorum, per dominum papam Honorium confirmatam ». Et in fine vitae suae S. Franciscus omnibus strictissime interdicebat quidquam regulae adjungere aut quidquam in ea derogare.

Haec fuit ergo communis opinio, quae viguit tempore s. Domini; sine dubio quidam de primis sociis ordinis praedicatorum, hisce ideis imbutis, opinionem illam communem introducere conati sunt. Inde vehemens reactio fundatoris, qui ante omnia voluit praeservare libertatem conscientiae suorum sodalium. Formula quoque professionis in usu apud primos Praedicatores fuit conformis huic sententiae: « Ego N. facio professionem et promitto obedientiam Deo et b. Mariae et tibi N. Magistro ordinis praedicatorum et successoribus tuis secundum regulam b. Augustini et institutiones fratrum praedicatorum, quod ero obediens tibi tuisque successoribus usque ad mortem ».

Quid in ordine Praemonstratensi ?

In statutis ordinis compositis anno 1236-1238 et edita a Lefèvre legimus in fine prologi: « Institutiones vero, quas in presenti libro conscripsimus, non ad culpam obligare intelligimus transgressores sed ad poenam, nisi aliquis eas transgredi presumpserit ex contemptu. Excipiuntur tamen illa tria quae de substantia ordinis esse dinoscuntur, videlicet abdicatio proprii, votum obedientiae et votum continentiae sive castitatis, quae adeo consubstantialia sunt ordini et eidem annexa, quod a nullo possunt tacite vel expresse remitti. Et haec tria singuli novicii clerici, ea die qua professionem facient, debent in capitulo promittere coram prelato et conventu, solempniter et expresse. Et ad hoc similiter faciendum in capitulo laicos fratres novitios, cum obedientiam facient, obligamus. Preterea, ea quae de privilegiis et statutis romanorum pontificum inseruimus in hoc libro, non nostras institutiones, sed privilegia et statuta Sedis apostolice reputamus » ¹⁾.

¹⁾ P. LEFÈVRE, *Les Statuts de Prémontré*, Louvain, 1946, pp. 2-3.

Forsan jam antea aliquid simile in usu fuit. J. Lepaige citat vetus manuscriptum — fortasse his constitutionibus antiquius — quod refert aliquod ordinis statutum: « Ut unitati et paci ordinis provideamus, statuimus et declaramus quod Regula et statuta nostra non obligant nos ad culpam, sed ad poenam, nisi propter praeceptum vel contemptum. Praeceptum autem in Regula nullum (nisi quod de natura est trium votorum, et divinae aut ecclesiasticae legis) contineri statuimus et declaramus. Et idem de Statutis, nisi ubi ponitur sententia excommunicationis, aut formaliter exprimitur verbum (Praecipimus in virtute sanctae, seu salutaris obedientiae). Et hoc idem in ordinationibus et praelatorum verbis et litteris intelligi volumus poenam excommunicationis latae sententiae, per nulla verba tam in statutis seu constitutionibus, quam extra in nostro ordine intelligimus, nisi ubi explicite et verbaliter poena excommunicationis latae sententiae exprimitur » ²⁾).

Quando sumimus prologum statutorum Ordinis nostri editorum a Martène, legimus: « Ea propter ut et paci et unitati totius ordinis provideremus librum istum, quem librum consuetudinum vocamus, diligenter conscripsimus » ³⁾. Quae verba etiam assumpta sunt in primariis institutionibus O. P., testante Humberto de Romans in suo commentario ⁴⁾. Lepaige praeterea refert vetus statutum capitulare O. Praem. quod iisdem verbis incipit sed alio modo prosequitur: « Ut paci et unitati provideamus, statuimus et declaramus quod regula et statuta nostra non obligant nos ad culpam sed ad poenam. etc. ut supra ». Capitulum quoque generale O. P. anni 1236 idem profert dicendo: « Item confirmamus hanc constitutionem, quod in constitutionibus ubi dicitur, ea propter unitati et paci etc. volumus et declaramus ut constitutiones nostrae non obligent nos ad culpam sed ad poenam, nisi propter contemptum vel praeceptum » ⁵⁾.

²⁾ J. LE PAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633, p. 779.

³⁾ *Primaria instituta canonicorum Praemonstratensium* (ed. MARTÈNE, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, t. 3, Antverpiae 1737), p. 323.

⁴⁾ HUMBERTI DE ROMANIS, *Opera de vita regulari*, ed. J. J. BERTHIER, t. II, p. 45 « Apud Praemonstratenses, et in constitutionibus (O. P.) traditis ab initio et antequam ista constitutio esset facta, dicitur ita: « Eapropter ut unitati et paci totius ordinis provideamus, librum istum composuimus ». Humbertus de Romanis mortuus est anno 1277 et incepit suum commentarium ultimis annis vitae suae.

⁵⁾ *Acta capitulorum generalium ordinis Praedicatorum*, Vol. I, p. 8 (ed. B. M. REICHERT, *Monumenta ordinis fratrum praedicatorum historica*, t. III,

Mirum vero videtur quod in statutis Ordinis nostri 1234-1236 remaneant in prologo verba statutorum Martène (1170): « Ea propter ut et paci et unitati provideremus hunc librum... Conscripsimus. » et quod in fine prologi fuse tractatur de non obligatione ad culpam sed ad poenam tantum.

Exceptiones ab hac decisione aliter in statutis (II) et in textu Lepaige (I) formulantur:

Dum in textu (I) affirmatur nullum contineri praeceptum in Regula, textus (II) nullam mentionem de Regula S. Augustini facit.

Textus I excipit legem divinam et ecclesiasticam. Dum textus II agit de privilegiis et statutis Romanorum Pontificum, quae retinent proprium valorem.

Textus I declarat praeceptum tantum significare praeceptum particulare et nullo modo amplecti ordinationes et litteras praelatorum, seu praecepta communia. Tantum ubi verbaliter exprimitur excommunicatio latae sententiae supponitur culpa in transgressore statutorum. et ubi aliquid imponitur in virtute s. obedientiae. Ambo textus excipiunt tria religionis vota.

Constat vero Praemonstratenses non ab initio fecisse distinctionem inter obligationem sub culpa et sub poena tantum. In commentario constitutionum O. P. Humbertus de Romanis hisce verbis hoc exprimit: « Item nota quod non solum nos habemus huiusmodi constitutionem sed etiam Praemonstratenses, et dicuntur eam accepisse a nobis et non habuisse ab antiquo » ⁶⁾.

Lepaige quoque animadvertit similitudinem inter obligationem sub culpa in statutis nostris et obligationem quam Praedicatores docuerunt. S. Thomas in Summa theol. II II, q. 186, art. 9. ubi quaerit, an religiosus semper peccet transgrediendo ea quae sunt in regula, dicit quosdam vovere servare regulam, alios vovere secundum regulam vivere, alios, ut Praedicatores, promittere obedientiam secundum regulam, quin tamen transgressio aut omissio illorum ex suo genere obliget ad culpam sed tantum ad poenam. Tunc autumat Lepaige: « unde cum idem praestent Praemonstratenses,

Romae, 1898). P. Thomas, O. P., benigne mihi explicavit verbum « item *confirmamus* » hic aliquid speciale significare; statuta nempe O. P. non habuerunt definitivam vim obligatoriam nisi postquam tribus subsequentibus capitulis generalibus submissa fuerint, et in tertio capitulo *confirmata sunt*; ideoque dicendum est hoc statutum jam anno 1234 pro prima vice propositum fuisse patribus capitularibus.

⁶⁾ HUMBERTI DE ROMANIS, ib., p. 47.

simile de eis erit iudicium » et in eodem loco admittit leges mere poenales fuisse innovationem in ordine nostro.

Distinctio enim tertia statutorum nostrorum continet materiam de culpis, quae dividuntur in levibus et mediis culpis ; in gravibus et gravioribus (de cetero idem fit in constitutionibus O. P.). Et annotat tunc Lepaige ista fuisse in initio Ordinis edita, quo tempore transgressionem inducebant culpam mortalem vel venialem. Postmodum vero patres capitulorum generalium quieti Ordinis studentes statuerunt contenta in regula et statutis non obligare ad culpam sed ad poenam ⁷⁾).

Valde interest inspicere similitudinem existentem inter constitutiones O. P. et statuta O. Praem. quoad haec puncta.

Textus substantialis, referens obligationem ad poenam tantum, est quasi idem.

Apud O. P. adjungitur textui: « ut et paci et unitati provideamus ».

Apud O. Praem. non est interpolatus in prologo sed appositus in ejus fine, et incipit hisce verbis « Institutiones vero, quas in presenti libro conscripsimus ad culpam obligare intelligimus etc. ut supra p. 3 ».

Constitutiones O. P., quae habent verbotenus eundem textum, relatum a Lepaige ex vetere manuscripto, excipiunt praeceptum et contemptum, dum statuta o. Praem. excipiunt unice transgressionem ex contemptu.

At in statutis o. Praem. adjunguntur huic textui specificationes valde accuratae quae non cadunt sub hac relaxatione, uti sunt tria vota religiosa et decreta ac privilegia romanorum Pontificum.

Similitudo quoque deprehenditur in formula professionis.

Primaria formula professionis o. Praem. sic sonat: « Ego frater, N..., offerens trado meipsum ecclesiae sanctae Genitricis Dei Mariae, sanctique illius ; et promitto conversionem morum meorum et stabilitatem in loco secundum Evangelium Christi et secundum apostolicam institutionem et secundum canonicam regulam beati Augustini. Promitto etiam obedientiam usque ad mortem in Christo Domino, N. praefatae ecclesiae Patri et successoribus eius, quos pars sanior congregationis canonicae elegerit » ⁸⁾). Haec formula con-

⁷⁾ J. LE PAIGE, *ib.*, p. 780.

⁸⁾ ADAM VAN DRYBURGH, *De ordine, habitu atque professione canonicorum ordinis Praemonstratensis*, M. L., t. 198, c. 479-480.

cordat cum illa O. P. citata p. 2: quia in ambabus sermo est de obedientia usque ad mortem.

Formula vero O. Praem. relata in statutis Lefèvre mutata est: « Ego frater N. offerens, trado meipsum ecclesiae tali et promitto conversionem morum meorum, emendationem vitae et stabilitatem in loco. Promitto etiam obedientiam perfectam in Christo, secundum evangelium Christi et regulam beati Augustini et regularia Praemonstratensis Ordinis instituta, tibi, pater N., et successoribus tuis quos sanior pars huius congregationis canonice elegerit » ⁹⁾ (sicut in formula O. P. etiam hic sermo est de « institutis regularibus »). Lefèvre autem citat in nota codicem Tongerloensem, in quo haec verba « et regularia Praemonstratensis Ordinis instituta » omitta sunt et ubi in calce additum est statutum quoddam capitulare ante annum 1250 editum « ad evitandum autem in postmodum periculum animarum statuitur ut professiones fiant de cetero in Ordine dumtaxat secundum evangelium Christi et regulam beati Augustini ».

Ex defectu fontium et propter incertitudinem eorum originis sat difficile est aliquid certi affirmare quoad introductionem legum mere poenaliū in statutis ordinum religiosorum. Constat vero inter Praemonstratenses et Praedicatores mutuū influxum extitisse, sicut de cetero in pluribus punctis legislativis, quin tamen constet, saltem in hac materia, de prioritāte.

D. DE CLERCK, o. Praem.

Res gestae Bohemicae.

1) *Monumenta Vaticana res gestas Bohemicas illustrantia*. Tomus III. Acta Urbani V. (1362-1370). Indices. Opera Vera JENSOVSKA, Praegae, Státní pedagogické nakladatelství, 1954, S. 265, 4°.

Tomus IV. Acta Gregorii XI. (1370-1378). Opera Caroli STLOUKAL, Praegae, Státní pedagogické nakladatelství, 1954, S. 899, 4°.

2) *Regesta diplomatica nec non epistolaria Bohemiae et Moraviae*. Pars VI. (1355-1358), fasc. III. Opera B. MENDEL, Praegae, Státní pedagogické nakladatelství, 1954, Seite 401-555, 2°.

Pars VII. (1358-1363), fasc. I. B. MENDEL - Milena LINHARTOVA, Praegae, Nakladatelství Čsl. akademie věd, 1954, S. 192, 2°.

Im Jahre 1954 erschienen in der Tschechoslowakei weitere

⁹⁾ P. LEFÈVRE, ib., pp. 25-26.